05
A
1605

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0001-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0002-1

Hg 852

Collegij Inſtitutionum
DISPVTATIO XXIII.
De
MANDATO, SOCIETATE, QVASI CONTRACTIBVS & quibus modis obligatio diſſolvitur

Ex Tit. 26. 27. 28. 29. & 30. lib. 3. deſumta.
Quam
CHRISTO duce & auſpice CHRISTO
In celeberrima VVitebergenſium Academia
29. Novemb. horis & loco ſtatis
PRÆSIDE
TIBURTIO RÜHELIO
VVitebergenſe, I. V. Lto
Tueri conabitur
MICHAEL GRVM Colonien.
Marchicus.

VVITEBERGÆ
Typis Cratonianis, per Iohannem Gorman.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0003-7

VIRIS PRUDENTIBUS SApientia, eruditione ac virtute conſpicuis, integerrimis,

D N.

IEREMIÆ Hagelln Illuſtriſs. & Sereniſs. Electoris Brandenburgenſis Archimagiro, ac civi Colonienſi præcipuo, patrueli meo perpetuo animi ſtudio obſervando.

D N.

MICHAELI SOMMERO in inclyta Repub. Cotbuſ. civi ac negotiatori primario, conſobrino meo plurimum honorando,

Præſentes de Societate, Mandato, Contractibus omnibus quaſi modisq́ꝫ tollendæ obligationis ſectiones in debitæ gratitudinis & obſervantiæ argumentum ſtrenæ loco offero.

Michael Grum Reſpond.

UNIV.-U. LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

OS A 1605

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0004-2

Continuatio.

HActenus de obligationibus ex conſenſu, quibus vel dominium plenum, vel uſus rerum ac perſonarum. Modo videamus, quomodo opera & induſtria perſonarum tantùm, hinc inde communicetur: Quod fit vel ad communem utilitatem *A*, vel ad privatam B.

A. Et fit ſocietate quæ vel eſt vitæ, quam nos matrimonium appellamus; de qua ſupra in diſp. 3. dictum eſt: vel rerum de qua in præſenti.

B. Ad privatam utilitatem opera & induſtria perſonæ communicatur per mandatum.

I.

Rerum ſocietas eſt contractus juris gentium *A*, quo nudo conſenſu B, inter duos pluresve *C*, legitima *D*, conſtituitur communio. Tit. 26 ſoci et de

A. *l. contractus 23. ff. de* R. I. §. *jus autem gentium Inſtit. de jur. nat. gent. & civ.*

B. §. *manet. autem 4. h. t. l. qui admittitur 19. ff. pro Socio l. 2. in pr. ff. de O. & A.*

C. Nam in ſocietate ad minimum oportet eſſe duos, ſi non plures, aliàs ſocietas non contrahitur, *l. ſi ſocietatem 6. & tot. tit. ff. & C. pro Socio.*

D. Nam de rebus & operibus turpibus & inhoneſtis, veluti furto rapina, latrocinio & ſimilibus, ſocietatem inire omni jure eſt prohibitum, *l.3.§ fin.l.57.§.17.& ſeq l.57.ff.pro Socio, l.35.§.2.ff. de Contrah.emt.l.1.§.14.ff.de Tut.& ration.diſtr.l. 79.§. fin.ff.de Fidejuſſ.Paulus lib. 2. ſentent.tit.16.* Sic minus rectè cum hoſtibus, hæreticis & Saracenis ſocietatis Coitio conſiſtit. etjamſi diverſum exemplum de Iudæis legamus in *l.8.C.de Iudæis & l.15.§.6.ff.de Excuſat.tut.l.49.& ſeq C.de Decurio.vide Conſtit Imperij Anno 1551.§* dieſen zubegegnen/ Hodie tamen in omnibus ferè benè conſtitutis Rebuſp. contrarium obſeruari videmus.

Hæc ſocietas, aut eſt univerſalis, quando duo pluresve deliberatè & conſultò de omnium ſuarum rerum communione conveniunt *A*, aut particularis, cum certæ negociationis cujuſdam communio fit *B*.

A. *l. Societates 5. in pr.l.nemo 68.in pr.pro Socio* tàm præſentium quâm futurarum, *l.ult.C.Quæ res pignor.oblig.* corporalium & incorporalium, *l.1.in fin.cum l.ſeq.ff.pro Soc.* Et hæc ſemper contracta cenſetur, niſi expreſsè de particulari negociatione mentio facta ſit *l.coiri 7. cum l. ſeq.ff.pro Socio.* quam communem laudat *Soarez in theſauro lit.S.n. 124. Diſſent. Menoch. conſil. 12.n.10.Treutl. p.1. diſp. 27.th.8.lit.F.* per *l.3.§.1. ff.pro Soc.* An autem huic ſocietati ſit imputandum, quod pater ſocius vel filiæ dotis loco, vel filio in ſubſidium ſtudiorum dedit, ingens eſt Dd. diſceptatio? Licet magni nominis ICti hoc negent: tamen ut affirmativam amplectamur ſuadet, *l. ſocietatem 73.§ fin.ff.pro Socio, Donell.ad Rubr.C pro Socio n. 19.*

B. *per pr.Inſtit.h.t.* Et in hanc ſaltem veniunt res quæ reſpectu ſolius ejus negociationis obveniunt, etiam ut in generali ſupra *l.5.ff.pro Socio.*

III.

In hoc contractu conſiderantur lucrum & damnum *A*, ſi igitur pactum & conventio ali-

aliqua interponitur nominatim, in hoc contractu de partibus lucri & dãni, hæc ſervanda eſt, *B*, ſi autẽ non ſunt expreſſæ partes lucri vel damni, æquales ſunt ſocij in damno & lucro *C*.

A. Illud dicitur, quod deductis impenſis ſupereſt: hoc quod abeſt deductis impenſis *l. 29. ff pro Socio.*

B. *l. 6. ff. pro Socio.* Variè autem de partibus lucri & damni conveniri poteſt, ſcilicet ut quis habeat partes lucri, plures, damni verò unam: aut plures damni, unam verò lucri *§. 2. Inſt. h. t. l. 29 ff. eod.* quia ſæpe quorundam ita precioſa eſt opera in ſocietate, ut eos juſtum ſit meliori conditione admitti in ſocietate. Item ut quis partes lucri ſentiat, damni verò nullam: non autem contra, ut alter ſcilicet totum lucrum & nullum damnum ſentiat, alter verò totum damnum & nullum lucrũ: Hanc enim ſocietatem Caſſius ICtus leoninam vocat, *d. l. 29. ff h. t. Gail. lib. 2. obſ. 24.* Sic, ut alter pecuniam conferat, alter nõ conferat, & tamen lucrum ſit commune, coiri poſſe ſocietatem, nemo dubitat, cum unius ſocij diligentia tantùm præſtet, quantum pecunia ab alijs collata. *§. de illa h. t. l. 1. C. eod. d. l. 29 ff eod.* Sed an hoc in caſu pecunia communis ſit, & finita ſocietate dividenda veniat, item an periculum ad utrumq; ſpectet, inter Dd. non convenit? Si induſtria alterius æqualis ſit pecuniæ ab altero collatæ, ut affirmativè concludamus, æquitas ſuadet, *Fachin. p. 1. controverſ. lib. 2. quæſt. 95.*

C. Etquidem ſecundum proportionem geometricam, *l. 6. ff. pro Socio.*

IV.

Quod diximus lucri partes dividendas eſſe, non etiam ad ſortem principalem, das Hauptgeldt ab altero collatam referimus. *A.*

A. *l. cum duobus 52. §. 2. verſ. ſi in coeunda ff. pro Socio.* Non enim ſors principalis communicatur, ſed tantùm lucrum, quod ex ea provenit, *Gail. lib. 2. obſ. 24. n. 6.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0007-9

V.

Solvitur ſocietas ex voluntate ſeu renunciatione *A*, perſonis *B*. Rebus *C*, & actione *D*.

A. Idque vel expreſsè quando ſocij nominatim per ſe aut per procuratorem ſpeciale mandatum habentem, aut qui ſit adminiſtrator omnium bonorum, ſocio vel ejus procuratori contractui renunciant, *l. actione 65. § 7. & ſeq ff. pro Socio.* modo in renunciando dolus vel captatio non appareat, *§. manet autem h.t.d.l.65.§.3.ff.pro Soc.* Sic omnes quoq; renuncient oportet unus enim ſolus diſſentiens ſocios quidem ſuos à ſe liberat, ipſe verò ab illis, ſi dolo malo renunciatio ſit facta, minimè liberatur: Quare ſi quid lucri poſtea factum fuerit, ejus partem non feret: at diſpendij partem omnimodò *d.l, actione 65.§.item qui 6.* Vel tacitè, quando ſcilicet ſeparatim ſocij agere incipiunt, & unusquiſq; eorum ſibi negociatur, *l. itaq; 64 ff. pro Socio.*

B. Quando ſcilicet unus ex ſocijs vel civiliter (quod ſaltem de maxima & media, non etiam de minima capitis diminutione intelligimus, *l. verum 63.§.ul.ff.pro Soc.*) vel naturaliter mortuus ſit *§. ſolvitur h.t.l. 4.§.1.l.adeò 59.in pr.d.l actione 65. §.morte 9.ff.pro Soc.* Et hoc etiam procedit, licet plures adhuc ſocij superſint, niſi ab initio conventum eſſet, ut ſocietas nihilominus continuaretur *d.§.ſolvitur h.t.d.l.actione 65.§.morte 9. ff.pro Socio.*

C. Quando ſcilicet res negociationis perempta aut commercio exemta *d.l.verum 63.in fin.* nec non finis negociationi impoſitus eſt cujus gratia contracta eſt *§ pen.Inſtit.h.t.* Quo pertinet etiam, quando propter delicta ſocij bona ejus publicata fuerint, nec non ſi propter æs alienum bonis ſuis ſocius ceſſerit, *d.§.pen.h.t.d.l.65.§.1.& §.17 ff.eod.*

D. Quando aut ſtipulatione, aut judicio mutatur cauſa ſocietatis *d.l.65.in pr.ff.pro Soc.* Qui enim ideò judicium dictat, ut ſocietas diſtrahatur, haud dubiè ſocietati renunciat.

VI.

Ad privatam utilitatem opera & induſtria perſonæ communicatur per mandatū: Quod

eſt

eſt contractus juris gentium *A*, nudo conſenſu contrahentium initus *B*, quo officium gratis procurandum committitur *C*.

A. *§ jus autem gentium Inſtit. de jur. nat. gent. & civ. l. ex hoc jur. 5. ff. de Iuſt. & jur. l. 1. §. pen. ff. de Pact.*

B. *l. 1. in pr. ff. Mand. l. 2. in pr. ff. de Oblig. & Act.*

C. *l. ſi renumerandi 6. §. 1. l. ſi procuratorem 8. ff. Mand.* Nam niſi ſit gratuitum, mandatum nullum eſt *§. ult. h. t. d. l. 1. §. ult. ff. eod. l. 1. §. ſalarium 17. C. eod.* quamvis tamen ſalarium extra ordinem peti poſſit, *d. l. 1. C. de Mand. l. ſalarium 7. in pr. ff. eod.*

VII.

Modus contrahendi mandatum eſt varius; tum quod vel inter præſentes, vel inter abſentes per nuntium aut per epiſtolam *A*, item ſola patientia *B*, & ratihabitione *C*, contrahitur: tum quod contrahitur vel purè, vel in diem, vel ſub conditione *D*, tum etiam quod quis mandat vel ſua tantum gratia, vel ſua & tua, vel ſua & aliena, vel aliena tantum gratia *E*.

A. *§. 1. Inſtit. de Oblig. ex conſenſ. l. 1. §. 1. ff. Mand.*

B. *l. ſi renumerandi 6. §. ſi paſſus l. qui patitur 18. l. qui fide 53. ff. Mand. l. ſi fidejuſſor 6. C. eod. l. ſemper 60. ubi Pet. Faber ff. de R. I.*

C. *l. ult. C. ad SC. Maced. d. l. 60. de R. I. l. 12. §. fin. ff. de Solut. c. ratihabitionem ubi Decius, Cagnol. & alij de R. I. in 6. l. ſi fundus 16. §. 1. ff. de pignor. Cujac & Petr. Faber in d. l. 60. de R. I.*

D. *§. mandatum pen. h. t. d. l. 1. § item mandatum ff. eod.*

E. *pr. & §. § ſeqq. h. t. l. 2. ff. eod.* In poſteriori tamen modo ſcilicet, ſi quis tua gratia tantum mandat, non habetur pro mandato, ſed potius pro conſilio, ita ut non poſſis mandati cum illo agere, *§. 2. h. t.* Sed quid juris eſt, ſi certam perſonam tale conſilium dans adjecerit, veluti Titio fundum tuum vende, aut pecuniam tuam fœnori crede? Et licet quidam indi-

ſtinctè

ſtinctè putent illum teneri mandati actione, tamen nos conſiderandum putamus, num tu fundum aliàs venditurus, aut pecuniam tuam fœnore crediturus fuiſſes, an non, ut nimirum priori caſu non poſſis agere, poſteriori verò poſſis. Similiter obligatur tibi quis ex conſilio ſuo, ſi id fuit aut tanti ponderis apud te, ut abſque illo id non feciſſes, aut fraudulẽtum, hic enim & doli tenebitur *l. ſi quis affirmavit ff. de Dolo.*

Mandantur non facta ſolum, verum etiam res, modò ſint honeſtæ & licitæ.

l.6.§.3.& 7. l.12.§.11.l.23.§.6.ff.Mand.l.26.ff.de V.O.l.1.& tot.tit. C.ad SC.Maced. Turpium enim & inhoneſtarum rerum mandatum adeò non eſt obligatorium, ut ne quidem juramento confirmari poſſit, *c.non eſt obligatorium de R.I. in 6.* & ſi tale mandatum ſit impletum, mandatarius & mandans eadem pœna afficiuntur. Sed quid ſi juſſus aliquem vulnerari, occidat, an mandans pœna ordinaria erit puniendus? Veriorem arbitramur ſententiam *Covarruv. ad Clement. furioſus.p.2.§.1.n.2.* ſcribentis mandantem in hoc caſu ordinaria pœna puniendum non eſſe, *per l.1. §. 3. l.7. l.14. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

Actus quoque legitimi *A*, puta emancipatio *B*, acceptilatio *C*, hereditatis aditio *D*, & ſimiles alteri mandari nequeunt.

A. Qui differunt à legis actionibus in eo, quod legis actiones eæ dicuntur, quæ ſunt civiles & ſimul ſolennes certis formulis diſtinctæ *l.11.l.14.§.ſi glans ff. de præſcript. verb.* & apud magiſtratum expediuntur, *l.2.ff.de offic. proconſ. l. 4. ff. de Adopt.* Actus autem legitimi ſunt, qui ex legis diſpoſitione naturam ſuam habent, & extra jus expediuntur ſine prætore vel magiſtratu, *Donell. lib.2. Comment.cap. 22.Hottem. quæſt. illuſtr.32. Duaren. de judic. cap 3.*

B. *§. 11. Inſtit. de Hered. quæ ab inteſt. Paul.lib.2. ſentent. tit. 25.§.4. Cujac. lib.15.obſ.16.*

l.3.

C. *l. 3. l.13.§.pen.ff.de Acceptil.*

D. *l.90.ff.de Adquir.hered. Cujac.lib.1. obſ.33.Donell. lib. 7. Comment.9.*

X.

Mandatum ita conſtitutum & contractum viciſsim diſſolvitur revocatione, ſi ſcilicet revocatur à mandatore re integra *A*, & morte alterutrius ſcilicet mandatoris & mandatarij. *B*.

A. Si ſcilicet revocetur à mandatore re integra *§. rectè quoq; 9.h.t.l. ſi vero 12. §.ſi mandavero ff. eod, l.1.§.cæpiſſe ff de Pollicitat.* Imò audiendus erit mandatarius allegans juſtam & probabilem cauſam propter quam renunciare velit, etiam re non amplius integra, mandato *l.ſanè 23. cum ſeq.ff. Mand.*

B. *§.item ſi 10.h.t. l.inter 26.in pr.ff eod.l.mandatum. 5. C. eod.* Cæterum mandatum continens aliquid quod perfici debet poſt mortem mandantis, morte ejus non extinguitur *l. ſi cum fundum ff. Mand.* Sicut nec mandatum libertatis dandæ vel dotis, *l.ſi ego §.1.ff.de Iure dot.* Sed quid ſi mandatore mortuo mandatarius nihilominus in negocio pergat habebitne deinde mandati actionem? Et diſcernendum putamus, num probabilem huius ignorantiam prætendere poſſit, vel non, ut ſcilicet priori caſu poſſit, *tot. tit. ff. de Iur. & fact. ignor.* poſteriori verò non item *l.1.§.cauſa ff.de Aedilit. Edict. l. quisquis C. de Reſcind.vend.*

XI.

Tit. 28. de oblig. quæ quaſi ex contr. naſc.

Hactenus de obligationibus, quæ ex verò contractu oriuntur ſatis dictum: jam videndum erit de ijs obligationibus, quæ quaſi ex contractu deſcendunt *A*, quarum Imperator ſex ſpecies hîc recenſet: Negociorum geſtio, tutelæ adminiſtratio: rei communio:

B. he-

hereditatis communio : aditio : indebitique ſolutio *B.*

A. Vbi quidem nihil verè & propriè contractum eſt: Sed tamen quia non ex maleficio vel quaſi ſubſtantiam capiunt, verum ad ſimilitudinem & naturam contractuum propius accedunt, juris poteſtate pro contractibus habentur, *l.1.§.conventionis ff.de pact.pr.h.t.l.5.ff.de Oblig.& Act. l. 2. l.6.ff. Negoc.geſt.*

B. *§.1.cum ſeqq.h.t.*

XII.

Negociorum geſtio eſt quaſi contractus, *A*, quando quis aliena negocia, in abſentia alicujus ſine mandato *B*, utiliter ſuſcipit gerenda; idque neceſſario *C*, vel non neceſſariò *D*.

A. *§.1.h.t.* Nihil facit *l.16.ff.de Negoc geſt.l. contractus 23. de R.I.* Quia contractus vocabulum in latiori ſignificatione contractum & quaſi contractum denotat.

B. Et in hoc conſiſtit differentia inter mandatum & negociorum geſtionem, *l.19.§. 2.l.5.& 6.ff.de Negoc. geſt. Vultei. ad d.§.1.h.t.Cujac. lib. 7.obſ.26.& lib.10.obſ. 25.*

C. Quando ſcilicet quis neceſſitate urgente alterius negocia ſuſcipit, *l.3.§.pen.ff.de Neg geſt.l.20.C.eod.*

D. Quando ſcilicet quis ſponte nulla neceſſitate cogente alterius negocia ſuſcipit, *d.l.3.§.pen.d.l.20.* exempla videri poſſunt, *in l.11.& 15.C. de Neg.geſt.& in l.12.16.ff. eod.*

XIII.

Tutelæ quoque judicio qui tenentur, non propriè ex contractu obligati intelliguntur: Nullum enim negocium inter pupillum & tutorem contrahitur, ſed quia ſanè nec ex maleficio tenentur, quaſi ex contractu tenebuntur. *A.*

A. §.2.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0012-6

A. *§.2. h.t.l. ſi quis abſentis 5 §.tutelæ ff.de Oblig.& Act.l.30.l33. in pr.ff.de Adminiſtr.& peric.tut.* Quia pupillus, præſertim infans, neſcit quid agat, cum parum à furioſo diſtet *§. pupillus 9. Inſtit.de Inutil.l.ſtipul.*

XIV,

Tertia quaſi contractuum ſpecies eſt rerum communio, quæ conſiſtit inter duos vel plures habentes rem aliquam communem, abſque ſocietatis contrahendæ animo.

§. item ſi inter 3.h.t.l.1 ff. commun.divid. Societas enim eſt volentium, communio ignorantium, imò etiam nolentium, ſæpe etiam invitorum: Illa tollitur morte ſocij, hæc non niſi rei interitu: Ex illa oritur actio pro Socio, vel communi dividundo, ex hac communi dividundo tantum *l.2. ff. communi divid.Vultei hic in d.§.3.*

XV.

Huic quam ſimilima eſt quarta, quaſi cõtractuum ſpecies, ſcilicet hereditatis communio, in qua heredes invicem obligantur de rebus univerſalibus inter ſe legitimè dividendis.

§.4 h.t:l. heredes 25.§.non tantum ff.Famil. herciſc. unde actio familiæ herciſcundæ nomen accepit. Studiorum verò expenſas ac in pravos ac flagitioſos uſus neutiquam factas, hac cõmunione ſeu diviſione non venire extra controverſiã putamus, niſi probatum fuerit, quod pater animo credendi, ſumtus ſubminiſtraverit, *l. quæ pater 50.ff.Famil.herciſc.ubi VVeſemb.in paratit.n.5.Cujac.lib,3.obſ.30 Hartm.Piſtor.p.1.quæſt 91.Menoch lib.2.de Arbitr judic.quæſt.cent.2.caſ.131.* Kőnig *in proceſſ.cap.133.* Non tamen patre prædefuncto, invitis fratribus, de communibus bonis filius ſtudia continuare poteſt *VVeſemb. Conſil. 80.n.14.& ſeq.*

XVI.

Cum duabus prioribus ſpeciebus & quinta concurrit ſcilicet aditio hereditatis, quâ is qui hereditatem adit omnibus ſe ſe obligat, & quaſi cum illis contrahit, quibus ex hereditate aliquid debetur.

§. heres quoq; 5. h. t. l. 5. §. 2 ff. de Oblig. & Act. l. 3. § pen. cum l. ſeq. ff. Quib. cauſ. in poſſeſſ. eat. juris enim fictione in id conſenſiſſe intelligitur.

XVII.

Sexta & ultima ſpecies quaſi contractuum eſt indebiti ſolutio, quá is qui non debitum per errorem ſolventis accipit, ex quaſi mutui datione obligatur, & ad reſtitutionem indebiti condictione compellitur.

§. pen. & ult. h t. §. is quoq; Inſtit. Quib. mod. re contr. Oblig. l. 1. l. 26. §. 1. & tot. tit. ff l. 9. l. 11. & tot. tit, C. de Condict. indeb. Qui enim ſolvit per errorem magis diſtrahendæ obligationis animo quàm omninò perdere præſumitur, *l. 5. §. 3. ff. de O. & A. Paul li b. 1. ſentent. tit. 19.* Sed ſi quis ſciens non debitum ſolverit, ceſſat repetitio per regulam, *l. 53. ff. de R. I. d. l. 1. ff. & d. l. 9. l 19. §. 1. C. de Condict. indeb. ubi Duaren. cap. 1. Oldendorp. Claſſ. 6. Act. 6. Vultei. lib. 1. Iuriſp. cap. 42. n. 22. Donell. ad l. creditori C. de Pact. & li. 14. Comment. cap. 17.* De errore accipientis quæritur, an idem requiratur, quàm ſolventis? Maximè aliàs videbitur ex maleficio obligatus. Qui enim rem alienam ſciens ab errante accipit, furtum committit, *l. 44. §. 1. ff de Furt.*

XIX.

Tit. 30. quib. mod. oblig. diſſolv.

Hactenus quomodo ab initio obligatio conſtituatur: Sequuntur jam modi tollendi, & diſ-

& diſſolvendi obligationem, quorum quinq; reperiuntur.

XIX.

Primum itaque obligatio tollitur ſolutione *A*, quæ eſt, quando quis ſolvit & facit quod debet, vel quod facere promiſit *B*.

A. Quâ voculâ aliàs generaliter accipitur omnis ſatisfactio *l. ſolutionis 176 de V.S.* & omnem continet liberationem quoquo modo factam, *l. ſolutionis 54. ff de Solution.* Atque eatenus ad omnes modos tollendi obligationem refertur: Hic autem ſpecialius accipitur pro primo modo tollendi obligationem ſcilicet pro ſolutione in ſpecie ita dicta.

B. *pr. h. t d. l. ſolutionis 176. de V.S.* Nihil autem refert, licet aliud pro alio ſolvatur, *l. manifeſti 17. C de Solut. pr. h. t.* modò id fiat conſentiente creditore, *per pr. h. t. & d. l. manifeſti 17. l. 2. §. 1. ff. de Reb. credit. Hottom. quæſt. illuſtr. 26.* aut niſi res debita amplius ſolvi non poſſit, *l. 8. ff. de Condict. furt. Coraſ. lib. 2. Miſcell. ca. 3. n. 8.* imò ne quidem particularis ſolutio invito creditore, fieri poteſt, *l. tutor. 41. §. Lucius Titius ff de Vſur. l. 90. ff. de Solut.* niſi juſſus magiſtratus interveniat *l. 21. ff. de Reb. credit. Bronchorſt. cent. 1. aſſert. 53. Zanger. de Except. p. 2. cap. 2. n. 5. Gædd. ad l. 32. de V.S, n. 9, & ſeqq.*

XX.

Solvere poſſunt, omnes quicunque liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent, ſive ipſe qui debet principaliter ſolvat, ſive alius pro eo *A*.

A. *l. 40. l. 53 ff. de Solut. l. 1. §. pen. de* Exerc. act. *l. 51. §. 1. ff de Re judic.* Contingit enim nihilominus liberatio alio ſolvente, ſive ſciente, ſive ignorante, ſive invito creditore, *pr. h. t. l. ſolvent. 39. ff. de Negoc. geſt. l. ſolvere 53. ff. de Solut.* Quia alicujus ignorantis, & inviti conditionem facere poſſumus meliorem, deteriorem non, item *d. l. ſolvere 53. ff. de Solut.*

XXI.

Sic ſolvi quoque poteſt omnibus quicunque ſanæ mentis & juſtæ ætatis ſunt, etiam criminis rei. *A.*

A. *l.reo 41.ff.de Solut.l.aufertur 46.§.in reatu ff.de Iur.fiſci.* niſi is ſceleris conſcientia perterritus profugerit *l.fin.C. de Requir reis*, aut reus ſit perduellionis.*l.fin.C ad L.Iul.majeſt.* Hinc eſt ut furioſo, prodigo, minori non rectè ſolvatur, ita ut ex ſolutione contingat liberatio, niſi tutorum aut curatorum autoritas vel decretum judicis interveniat, *l.ait prætor ff. de Minorib.*

XXII.

Nec tantum ipſi creditori rectè ſolvitur, ſed & alijs, nimirum procuratoribus, qui ut ſolutionem accipiant, ſpeciale mandatum habent, vel quibus omnium negociorum adminiſtratio commiſſa eſt *A.*

A. *l.12.l.qui hominem 34.§.Titium l.89. §.1.ff.de Solut.l.4.C. eod.l.3.§.fin.l.26.in pr.ff.de Donat.inter vir & uxor. Zanger. de Except.p.3.cap.1.n.40.& ſeqq.* Hinc filiisfamilias & ſervis, qui mutuis dandis exigendisque pecuniis præponi ſolent jure ſolvitur, *l.7.§.l.18 ff.de Solut.*

XXIII.

Secundus modus tollendi obligationem eſt Acceptilatio, quæ eſt liberatio *A*, per mutuam interrogationem *B*, quá utriuſque ab eodem nexu contingit abſolùtio.

A. *l.1 ff de Acceptilat.* Quod verbum liberationis latiſſimè patet, & rectè generis loco ponitur, cum ad omnes ſpecies ſolvendi obligationem referri poſsit *d.l.ſolutionis de V. S.* & liberationis verbum eandem vim habet, quam ſolutionis *l.liberationis 47.ff.de V.S.*

B. Quia

B. Quia verba requiruntur in acceptilatione *l. an inutilis 8. §. acceptum ff. de Acceptilationib.* cum fiat ſtipulatione interveniente in qua verba de ſubſtantia requiruntur *tot. tit. de V. O.*

XXIV.

Contingit acceptilatio duplici modo 1 ſimpliciter per verborum obligationem *A*, 2. per modum novandi *B*.

A. *§. 1. h. t. l. 18. § 3. ff. de Acceptilat.* diciturque Aquilana à Gallo Aquilio, qui eam ita compoſuit & conſtituit, ad omnes obligationes etiam per acceptilationem ſolvendas, ſive illæ in præſens tempus, ſive in diem vel ſub conditione ſint conceptæ *d §. 1. h. t. & d. l. & uno 18. ff. de acceptil.*

B Nam quod debetur ex [quavis obligatio], poteſt deduci in ſtipulationem, interventu novæ perſonæ & per acceptilationem diſſolvi, *d. §. 1. h. t. & d. l. 18. ff. de Accept.*

XXV.

Tertius modus eſt Novatio, quæ eſt prioris debiti in aliam obligationem naturalem, vel civilem transfuſio atque translatio, quando præcedens cauſa, ita nova conſtituitur, ut prior perimatur. *A*. Quartus modus tollendæ obligationis eſt delegatio, quæ fit, quando aliquis vice ſua alium reum dat creditori *B*.

A. *l. 1. in pr. ff. de Novat. & delegat.*

B. *delegare 11. in pr. ff. de Novat.* Sed ita demum novatio fit, ſi quid in poſteriore ſtipulatione novi ſit forte ſi conditio aut dies, aut fidejuſſor adijciatur aut detrahatur, *§. præterea 3. h. t. Weſemb. in paratit. ff. de Novat.* [*n. 6.*] vide *Menoch. lib. 3. præſunt 134.*

XXVI.

Quintus denique & ultimus modus tollendæ obligationis eſt contrarius conſenſus:

Na-

Naturale namque eſt, eomodo quid ſolvi, quo eſt colligatum.

l. nihil tàm naturale ff. de R. I. l. 40. ff. de Solut. 8. §. 2. ff. de Acceptilat. l. 46 de Adquir. poſſeſſ. Quod enim re contractum eſt; re diſſolvatur, atque ita deinceps.

FINIS

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0018-0

05 A 1605

ULB Halle 3
003 779 904

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0019-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0020-1

Mqb 852

Collegij Inſtitutionum

DISPUTATIO XXIII.

De

MANDATO, SOCIETATE, QUASI CONTRACTIBUS & quibus modis obligatio diſſolvitur

Ex Tit. 26. 27. 28. 29. & 30. lib. 3. deſumta.

Quam

CHRISTO duce & auſpice CHRISTO

In celeberrima VVitebergenſium Academia 29. Novemb. horis & loco ſtatis

PRÆSIDE

TIBURTIO RÜHELIO

VVitebergenſe, I. V. Lto

Tueri conabitur

MICHAEL GRUM Colonien. Marchicus.

UUITEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Iohannem Gorman.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-601591-p0021-6